

EX UNIVERSA
ETHICA PROPOSITIONES,
QUAS PUBLICAE DISCUSSIONI
OFFERUNT
SCHOLAR. PIAR. SANCTI ANTONII MATRIT.
ALUMNI ET CONVICTORES

D. D. AUGUSTINUS CONTRERAS CAREAGA.
D. D. FRANCISCUS ARIZCUN BUREAU.
D. D. JOSEPHUS MUÑOZ CAPILLA.
D. D. PETRUS BALLESTEROS LUESO.
D. D. JOANNES GAVIÑA ALDAMA.
D. D. JOSEPHUS LOPEZ ROBREDO.
D. D. JOACHIMUS GOMEZ CORTINA.
D. D. CAROLUS VEGA CARDON.
D. D. SATURNINUS HERAS ESQUIVIAS.
D. D. SALVATOR LOPEZ DIAZ.

PRAESIDE P. ILDEFONSO MILLA Á SANCTO JOACHIMO.

DIE 23 JULII ANNI 1823.

MANE HORA OCTAVA.



MATRITI
APUD MATAEUM REPULLÉS.
1823.

EX UNIVERSA
ETHICA PROPOSITIONES
QUAS PUBLICAE DISCUSSIONI
OFFERUNT
SCHOLAE PIAE SANCTI ANTONII MATRIT.
ALUMNI ET CONVICTORES

D. D. AUGUSTINUS CONTRERAS CARRAGA.
D. D. FRANCISCUS ARAGONI BURNIA.
D. D. JOSEPHUS MUÑOZ CAPILLA.
D. D. PETRUS BALLESTEROS LUEGO.
D. D. JOHANNES GAVIN AIDAMA.
D. D. JOSEPHUS LOPEZ ROJAS.
D. D. JOACHIMUS GOMEZ CORTINA.
D. D. CAROLUS VEGA CARDON.
D. D. SATURNINUS HERAS ESQUIVIA.
D. D. SALVATOR LOPEZ DIAZ.

PRÆSIDE P. ILDEFONSO MILLA A SANCTO JOACHIMO.

DIE 23 JULII ANNI 1823.



MANE HORA OCTAVA.

APUD MATAEUM REPULLES
MATRIT

1823.

ETHICA.

Cum singulae Philosophiae partes coelestis divinaeque originis habeantur; id potiori certè jure de illa Sapientiae parte intelligi debet, quae, cum hominum moribus componendis inventa sit, Ethicae, sive moralis disciplinae nomine circumfertur. Quòd si in singulis Sapientiae partibus pertractandis curam maximam, ac diligentiam adhibere Philosophi consueverunt, id maximè praestare ipsi debent, cum de morum doctrina agitur; ex qua totius vitae sanctitas, felicitas, atque Reipublicae tranquillitas veluti ex fonte dimanat. Atque ut ab ipso Ethicae nomine exordiamur, illa describi solet: *facultas seu scientia practica actus humanos ad honestatem dirigens*. Universam itaque morum doctrinam ita dividemus, ut primo de humanis actibus liberis, eorum fine, ac honestate, cujus sunt capaces: postea de legibus, ultimo tandem loco de societate, de variis hominum officiis, ac de revelatione agamus.

ETHICA GENERALIS.

De principiis humanorum actuum internis.

I.

Principia actuum humanorum interna sunt cognitio, voluntas, et conscientia.

II.

De voluntarii notione ac divisione.

III.

Coactio seu violentia tollit voluntarium.

IV.

Voluntas cogi potest quoad actus imperatos, seu exteriores; minimè verò quoad actus elicitos, siue interiores.

V.

Metus gravis, quo stante, manet homo sui compos, voluntarium non tollit omninò, sed minuit.

VI.

Ignorantia quaelibet invincibilis tollit voluntarium, et à peccato excusat.

VII.

Quae fiunt ex ignorantia vincibili, voluntaria sunt, totidemque peccata, si mala sint.

De libertatis essentia, seu de libero arbitrio.

VIII.

Essentia libertatis sita est in potestate agendi, vel non agendi.

IX.

Sensus intimus, conscientiae stimuli, unanimis populi consensus, justitia Dei, oppositae sententiae absurda consecretaria, discordia, quae inter sophistarum doctrinam, eorumque agendi rationem intercedit, evincunt existere in homine libertatem, seu potestatem agendi, vel non agendi.

5

*De conscientia generatim sumpta, ejusque divisione,
ac regulis.*

X.

Nunquam licet contra conscientiam agere; quod autem ea dictante, geritur, aliquando malum est.

XI.

Qui conscientiam habet dubiam, ab actu debet abstinere, si nulla urgeat agendi necessitas; quae si adfuerit, partem tutiorem eligere debet.

XII.

Cum hominem minime deceat imprudenter, temerè, et contra conscientiam agere, nec in peccandi periculum sese conjicere, non licet ei sequi opinionem minus probabilem, quae favet libertati, in concursu alterius probabilioris, quae favet legi.

XIII.

Non licet sequi opinionem probabilem, quae favet libertati, in concursu alterius aeque probabilis, quae stat pro lege.

XIV.

Probabilistarum doctrina non potest esse morum regula.

De principiis actuum humanorum externis.

XV.

Ad veram, proprièque dictam beatitudinem homo destinatur.

XVI.

Homo non potest in seipso veram felicitatem invenire; nec in bonis fortunae, corporis et animi, seu in dignitatibus, divitiis, sanitate, voluptatibus, scientia, et virtute.

*

XVII.

Deus proinde solus est summa hominis beatitudo, sive summum bonum.

XVIII.

Hominem teneri omnes, et singulas actiones deliberatas ad Deum, tamquam finem ultimum referre, ex lege naturali, et Christianae Religionis documentis ostendere tentabimus.

De lege aeterna, et naturali, et utriusque notione.

XIX.

Ex necessaria quarundam propositionum practicarum veritate, ex unanimi populorum consensu atque ex oppositae sententiae consecrariis, boni malique discrimen comprobatur.

XX.

Ex ipso populorum omnium consensu, ex tacita virtutis approbatione, atque ex Dei circa homines speciali providentia, legis naturalis in omnium mentibus existentia demonstratur.

XXI.

Lex naturalis nullam mutationem, nullamque dispensationem admittit.

XXII.

Legis naturalis ignorantia invencibilis difficile concipitur: arridet multis opposita sententia.

XXIII.

De legis positivae notione, divisione, et objecto.

XXIV.

Jus habent Principes Saeculares leges condendi, quae subditorum conscientiam obligent.

XXV.

Potest Ecclesia leges condere, quae vim obligandae conscientiae habeant.

72

XXVI.

Nonnullae quaestiones ad legem positivam pertinentes.
 1. Quaenam praecipuae sint legis positivae divisiones:
 quodnam illius objectum et materia? Quaenam Ecclesias-
 tica, quaenam civilis potestatis propria sint? Quandonam
 lex positiva censeatur graviter obligare? Utrum lex hu-
 mana obliget cum mortis, aut gravis alicujus incommodi
 periculo? Quid agendum sit cum occurrunt duo praecepta,
 quae simul observari nequeunt? Utrum lex de tributis sol-
 vendis vere conscientiam obliget? Utrum utraque potestas
 ecclesiastica, et civilis in suo quaeque genere suprema
 sit?

*De actuum humanorum proprietatibus, sive de bonitate, et
 malitia morali.*

XXVII.

Bonitas moralis est aliquid positivum.

XXVIII.

Malitia moralis est privatio rectitudinis debitae.

XXIX.

Actuum humanorum bonitas et malitia moralis non
 solum á fine ultimo, sed etiam ab objecto et circumstantiis
 repetenda est.

XXX.

Cum omnis actus humanus rationi consentaneus sit,
 vel dissentaneus et propter aliquem finem fiat; nullus esse
 potest in individuo indifferens, habitâ ratione objecti, fi-
 nis, et circumstantiarum.

ETHICA SPECIALIS.

De officiis ad ipsius animam, et primum, ad intellectum spectantibus.

XXXI.

Tenetur homo intellectum suum cognitionibus homine dignissimis, nimirum religionis et morum principiis exornare, easque scientias comparare, quae certis conditionibus et vitae institutis accomodatae sint, maximèque curare, ut praejudicatae opiniones animo non insideant, suorumque studiorum Deum adhibere Ducem.

De officiis quae ad voluntatem spectant.

XXXII.

Ea tantum, quae vera bona sunt prosequi, nec aliud, quàm, verum malum aversari debet voluntas: quemdam in rebus diligendis ordinem instituere, voluntatis affectus coercere; à libris amatoriis, choreis, et saltationibus, ludis scenicis, quae cupiditatum efficacissima sunt irritamenta, maxime cavere.

De hominum officiis ad corpus spectantibus.

XXXIII.

Debet homo corporis saluti et conservationi, sed non plus aequo, invigilare: sensibus, praecipuè oculis, et auribus custodiam ponere, ut Scripturae verbis utar.

XXXIV.

Suicidium propria voluntate commissum actus est rebellionis erga Deum, cum ille, qui seipsum interficit, leges Dei aperte contemnat, et ipsius jura subi arroget.

XXXV.

Qui seipsum voluntariè occidit, reus est in societatem,

cui membrum utile eripit, et crudelis in seipsum, dum fugiendi mali praesentis obtentu in apertum summae infelicitatis discrimen sese conjicit.

XXXVI.

Cum dubium saltem sit, an liceat injustum vitae aggresorem occidere, utriusque sententiae argumenta in medium proferre nostrae partes erunt.

XXXVII.

Lex naturalis, Dei auctoritas, pietatis et Religionis sensus, Regum edicta, Ecclesiae decreta, recta ratio, ac tandem commune Patriae bonum singularia certamina, sive duella, veluti illicita detestantur.

De hominis erga caeteros homines officiis.

XXXVIII

Hominis erga caeteros homines officia humanitatis titulo subnixa exigunt, ut caeteros homines, etiam inimicos diligamus; nulli damnum inferamus; proximo indigenti subveniamus; et quemdam ordinem in beneficiis proximo conferendis servemus.

De officiis in ordine ad societatem universim spectatam.

XXXIX.

Hominum conditio, facultates et propensiones ipsis congenitae nobis ostendunt, homines natos esse ad societatem cum aliis hominibus ineundam; neque naturalem hominis conditionem esse statum belli, vitamque in sylvis segregem agere.

XL.

Debet proindè quisque civis patriae legibus obtemperare; vitam pro patria effundere, si opus fuerit; suis bonis eam adjuvare, et suas animi et corporis dotes in patriae utilitatem impendere.

XLI.

De hominum officiis in ordine ad varias societatis species, nimirum de societate conjugali, societate paterna, sive de parentum erga liberos officiis, liberorumque erga parentes, de societate herili, ac civili quid sentiamus, interroganti aperiemus.

XLII.

Suprema Principum auctoritas à Deo non à populo ducere originem ostendemus: et quaenam ex triplici regiminis forma sit anteponenda, leviter attingemus.

XLIII.

Praecipua Magistratum officia, et dotes haec sunt: ex legum praescripto judicare: lucro, et avaritiae non servire: summa constantia, invictumque animi robur: nullâque habitâ ratione personarum, solam causam in judicio spectare.

XLIV.

Non licet Judici ex allegatis, et probatis hominem condemnare, quem certo novit innocentem: verum à judicio debet abstinere, imò si necesse sit, magistratum abjicere.

De hominis erga Deum officiis.

XLV.

Divinarum perfectionum excellentia, ipsa hominis natura, et unanimis populorum consensus postulant, ut Deo cultum internum, amorem nimirum, adorationem, orationem, et gratiarum actionem rependamus.

XLVI.

Cultus externus, qui ab interno profluit, iisdemque nititur fundamentis, Deo quoque debetur.

De Revelatione.

XLVII.

Cum plurimae sint veritates supra captum humanum positae, Deoque suppetat via eas manifestandi, nec contra rationem sit eas credere; Deus potest quasdam veritates hominibus revelare, earumque fidem exigere.

XLVIII.

Non solum barbarae gentes, sed etiam populi cultissimi, et praestantiores Philosophi, qui legem naturalem magna ex parte ignorarunt, argumento esse possunt, ad cognoscenda plurima legis naturalis praecepta revelatione summopere indiguissse genus humanum.

*De revelationis divinae signis, et notis, et primum
de miraculis.*

XLIX.

Miraculum, sive eventus stupendus totius naturae creatae vires et ordinem superans, possibile concipitur, cum ex parte subjecti, sive creaturae; tum ex parte causae efficientis, sive Dei.

L.

Miraculi proprie dicti solus Deus est causa efficiens principalis.

LI.

Veracitas et bonitas divina subverteretur, nisi miraculum propriè dictum probaret veram esse doctrinam, in cuius gratiam editum est.

LII.

Prophetia strictè sumpta, sive praedictio certa futuri alicujus eventus, qui in causis naturalibus praevideri non potuit, possibilis est.

LIII.

Cum prophetia quamlibet intelligentiam creatam superet, solus Deus est illius causa efficiens.

LIV.

Religio prophetiis firmata non potest non esse vera; et divina.

LV.

Novi Testamenti libri eos habent auctores, quorum nominibus inscribuntur; ac proinde juxta omnium saeculorum fidem verè sunt authentici, non verò suppositi: cum neque ante, neque post mortem Apostolorum confingi potuerint.

LVI.

Novi Testamenti libri non fuerunt quoad substantiam adulterati Apostolorum aetate, aut subsequentibus, neque à Judaeis, neque à Paganis, neque à Christianis.

LVII.

Sacrorum scriptorum conditio et dotes: ipsorum factorum natura: et modus quo referuntur, factis, quae in Novo Testamento narrantur, omnimodam fidem vindicant.

LVIII.

Christianam Religionem divinitus revelatam fuisse ex Christi et Apostolorum miraculis, prophetiis, Christi resurrectione, Christianae Religionis propagatione, Martyrum fortitudine, inconcussâ, perpetuâque Christianae Religionis stabilitate ostendere aggrediemur.

